

noster Hammeburgensis Archiepiscopus ad Apostolicam sedem veniens in nostra præsentia questus est, quod cum Episcopis Regni tui, sicut antiqua prædecessorum nostrorum Gregorii, Sergii, Leonis, Benedicti, Nicolai & Adriani Romanorum Pontificum privilegia indicare noscuntur, metropolitano jure possideat, debitam ei obedientiam denegare præsumant. Quia igitur nostri officii est, male gesta corrigere, & ad viam rectitudinis revocare, Nobilitati tuæ rogando mandamus, quatenus præfato Fratri nostro A. Hammeburgensi Archiepiscopo tanquam Metropolitano tuo humiliter pareas, & ut Episcopi terræ tuæ ad ipsius obedientiam redeant, pro facultate tibi a Deo collata diligenter efficias. Data apud montem Aventinum VI. Kalend. Junii

32.

1133 d. 27 Maj.

Rom.

Påfv. INNOCENTIUS II:s befallning till Svenska Biskoparne i samma ämne.

K. 535.

INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum Dei venerabilibus fratribus universis Episcopis Suediæ salutem & apostolicam benedictionem. Aequum est ut qui aliis præesse desiderat suis prælatiſ revereri humiliter non erubescat. Cæterum venerabilis frater noster A. Hammaburgensis Archiepiscopus ad sedem Apostolicam veniens graviter questus est, quod cum vobis, sicut est in antiquis privilegijs, Gregorii, Sergii, Leonis, Benedicti, Nicolai & Adriani Romanorum Pontificum continetur, metropolitico jure præsideat, debitam ei obedientiam subtrahatis, quod profecto a vobis tanto est studiosius corrigendum, quanto subacto populo etiam in hoc bonæ conversationis exempla debitores estis impendere. Per præsentia itaque scripta fraternitati vestræ mandamus, quatenus præfato fratri nostro A. Hammaburgensi Archiepiscopo, tanquam Metropolitano yestro, obedientiam & reverentiam deferatis, & nullam ei super hoc molestiam de cætero irrogetis. Datae apud montem Aventinum VI. kl. Junii.

33.

1135 d. 6 Jan.

Lund.

Konung ERIC ERICSONS i Danmark Bref på anslag till Prebenda för en Canik i Lund.

B. 1: 121.

Fvndacio prebende canonicalis per Ericum regem Erici regis filium.

In nomine sancte &amp; indiuidue trinitatis Ericus. erici filius. Divina fauente clemencia. Danorum rex. Omnibus Catholicis. Salutem. De magnis tri-

tribulacionibus & angustiis a Deo liberati. magnifice gratias ipsi referimus. quia populum suum liberavit. quia nobis regnum & hereditatem restituit. et meipsum in solio patrum meorum collocavit. In reddenda igitur graciarum accione ei. cuius sanctis meritis victores nos esse confidimus. De bonis que nostri juris sunt. nec a quoquam. legibus afferri possunt. secundum quod infra descriptum est. gratanter offeremus. et lundensi ecclesie in possessionem eternam per presentis page auctoritatem contradimus. quantum ad prebendam vnius clerici sufficiat. quod jugitur Deo et sanctis eius in loco ipso pro salute regis deseruiat. A Geri in villa wram occidentali. vnu mansus. Heoum. mansus. Hugby. mansus. In scio. dimidius mansus. Herchalef. quadrans. A wetlandi in willa fialkinn. quadrans. In insula amacum. in villa tummethorp. duo mansi. Thornby. mansus. Terras has a justicia regali immunes & omnino liberas esse volumus. ad imitacionem earum. quas dederunt felicis memorie predecessores nostri. Sweno magnus et Canutus. Reges catholici. Hec ut rata sint. sigillo nostro cartam hanc signauimus. Ad honorem regis regum. qui viuit & gloriatur Deus per omnia secula seculorum Amen. Actum Lundi. in ecclesia sancti Laurencij. Domina Malfride regina conscente & collaudante. et filio regis suenone. presente domino ac venerabili ascero lundensi archiepiscopo. et ottario bergenensi. qui justam regis voluntatem sua auctoritate confirmauerunt. Omnem vero. huic constitucioni contradicentem vel aduersantem. tamquam latronem & alieni juris inuasorem anathematizauerunt. coram presbiteris & dyaconibus multis et magna populi multitudine. Octauo iudicis Januarij Indictione XIII Anno ab incarnatione dominij MCXXXV. Regni autem regis erici anno quarto.

## 34.

## 1145.

Bref rörande donation af gods, instiftelsen af Ärkedjeknedömet, Skattmästaresysslan m. m. af Ärke-Bisk. Eskil i Lund.

B. 1: 70.

Donacio possessionum a domino eskillo archiepiscopo. Et institucio archidiaconatus & thesaurarie Et quod pro munere caritatis Cantetur Cristus vincit.

In nomine sancte & indiuidue trinitatis Notum sit omnibus ita presentibus quam futuris in posterum. qualiter dominus eskillus. sancte lundensis ecclesie archiepiscopus secundus. eiusdem dignitates et ornatus ampliauerit. qualiter eam. insignium donorum priuilegiis sublimauerit. Idem enim

Sv. Dipl.